

mendatione, nostra præsertim, non indigeat. Non omitram tamen si quid erit in quo gratificari me illi posse intelligam.

Quod de *Curtio* scripsesam, seculo demum Christi quinto decimo innotuisse illius historiam, fidei ac dignitati ejus nihil derogat: Sane opus ipsum ventusti esse Scriptoris ac Romani, non stylus solum, cujus ambigua sæpe æstimatio atque arbitraria est, sed ea maxime quæ sub initium præfationis attuli, mihi pervaserunt. Quibus alia quædam adjici videntur potuisse ejusdem generis, nisi res ipso doctorum consensu explorata ferme haberetur. In quo tamen si mihi non assentiris, haud sane Tuum improbare judicium audeam: præsertim cum *Stylus res ejusmodi sit*, quæ gustu magis, ut sic dicam, quam rationibus discerni queat. Suus autem, quod ajunt, unicuique gustus est: quem si meliorem esse mihi confidam quam Tibi, næ mihi plus æquo tribuerim. Non injucundum erit, opinor, si admonuero, *Jam sub prælo esse Historiam Plinii*, quam è nostris unus Collegii hujusce alumnus *Interpretatione ac Notis illustravit, ad eum fere modum, quo cæteri Scriptores antiqui in usum Sereniss. Delphini editi sunt.* Erit illud opus omnigena eruditione refertum in primis, ac vestris Bibliothecis non indignum. Sed non tam cito prodire in lucem integrum poterit. Sunt & *Ciceronis Orationes* omnes ab alio item e nostris eodem genere Commentariorum explanatæ, quæ post aliquot menses vulgabuntur. Hæc erant quæ sciri abs Te de re literaria volui,

XIV. Calend. Januar. 1682, *Lutetiæ.*

Vix clarissime, omnique officio colende,

Tibi devotissimus in Christo

Michael le Tellier

è Societ. JESV.



D E C A S

SÆCVNDA

# EPISTOLARVM

AD

DAN. GVIL. MOLLERVM

MISSARVM

## CHRISTOPHORO SONNTAGIO

. THEOL. DOCT. EJVSDEMQVE  
PRIMARIO ET GRAECAE LINGVAE  
IN ACADEM. ALTDORFINA  
PROF. PVBL.

CONSECRATA.

ANNO MDCLXXXI.

*Altdorsii*

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

# EPISTOLA I.

*Salutem, Gratiam, & Pacem in JESU,  
Domino & Autore Vitae!*

Amice Exoptatissime.

**G**ratias pro amico Tuo in me affectu mecum ago benignissimo in coelis Patri, qui gratiosa sua visitatione (quid enim aliud quam gratiosum & paterna benignitate proficisceretur?) aedes meas dignatus est, et a quinque fere mensibus nostram fidem et patientiam exercuit, conservavit, confirmavit: in ipsa vero castigatione pluribus quàm corpus quàm animam nos affecit beneficiis. Mense Octobri et Novembri simul numerabam quinque in domo mea non una febri (ne alii ab aliis contagium cepisse viderentur) laborantes. Ex quibus, quae Praeceptorem domesticum corripuerat, ei lethalis fuit; filium autem primogenitum, (qui solus a paedagogo suo, utpote lecti socius, vitium traxisse apparet,) et uxorem optimam ipsis mortis faucibus Autor vitae potentissime eripuit. Aegri isti convalescerant, cum Adventus tertia Dominica, postquam mane et post meridiem, sed malum jam sentiens, officii mei munere functus essem, sub vesperam in lectum me recipere coactus sum. Videbatur stomachus minus bene habere, unde Amici aquae vino admixtae largiorem mensuram accusabant, et ut vini plus biberem hortabantur, ex eo autem caput non equidem dolebat, sed confusius ad seria meditando ineptum experiebar. Aliud ego malum non sensi, sed occultum, quique siti, pulsu, urinae indicis se proderet, aestum maxime reformidavit Medicus, et ardentem febrem nominavit. Absuit venenum, et malignitatis consueti comites delirium et capitis dolor: sed ex calore prostratio virium summa, ut apud alios de vita me summo periculo assereret, apud nos idem haud obscure innueret: ego periculum non sensi, donec quinta decima die tantus morbum omnium defectus occuparet,



ut naturam morbo succumbentem sentirem, et ad extrema me pararem: Non mulrarum autem horarum intervallo DEVS Opt. Max. ita oppressam naturam restauravit, ut sentirem ejus de malo victoriam. Sed lento admodum gradu promovit valetudo rediens. Cum non nihil recipere vires viderer, *Arthritis vaga me invasit, ex qua Genevae decimo nono abhinc anno non unum mensem laboravi, et cruciatus vehementissimos pertulit: pepercit tamen ista vice DEVS infirmo, ut et dolores essent mitiores, et non ultra alteram hebdomadam durarent, nisi quod reliquias nonnullas nunc etiam in quibusdam sentio articulis.* Calor, qui istum iterum comitabatur affectum, ita vires pauculas depastus est, ut ex eo tempore difficulter admodum valetudo in melius proficeret, et nunc etiam vix diurna quiete aliquot horarum carere possim. Heri tamen divina gratia primum Ecclesiae meae me fuit; et die *jejunio et poenitentiae exercitiis sacro*, sermonem ad eam primum ex 2. *Theff. 3, 16.* habui. Iterum verò corpori rectius curando aliquot dies publico abstinere necesse habeo. Illa series est morbi, in quo benignitatem coelestis Patris inter ipsa flagra maximam, nec non Auditorum meorum affectum ferventissimum expertus sum. *Vnum jam desiderium est, quod Tu etiam pro amicitia nostra juvabis precibus, ut juxta divinum consilium Hebr. 12, 10. 11. fructus apud me castigationis hujus coelestis sequantur largi, et receptas vires majori sollicitudine posthac ejus consecrem gloriae, proximi commodis: absque hoc enim si sit, quam praestaret eas non recipisse!* Tibi etiam gratias ago decentes pro Tua de me cura amica et voto benevolo: cujus fructus in Te quoque redundare DOMINVS jubeat. Vtramque Tuam accepi epistolam, sed utramque in lecto et ad plura scribenda infirmior. Quae Dn. N. amico meo, qui mundanas nostras invisens me quoque convenire solet, contingerint, aliunde noveram: Sed crede parum me illis moveri, unde ex eo nuncio non erat ut valetudini meae mesurere:

*Mijs-*

*Miseratione tantum eorum hominum ducor, quibus omnia ea suscecta sunt, et Quackerismi nomine tristi infamantur, si quis ea exprimat vita, quae omnes ex suggestu ut fiant hortamur, obtestamur, jubemus. Ego saepe Quackeris illum in videro honorem, quod quicquid vel boni non apud omnes obvii speciem habet, communionis cum ipsis arguitur: ac si soli illi essent, quibus vita ex praescripto DOMINI esset propria. Miseram vero nostram Religionem, et sane si ita sit, hoc ipso non veram, nisi tantundem illa hominibus ad veram pietatis praxin, atque isti hominum generi sua persuasio facit, valeret! adeo injurii in nosmet ipsos sumus, quando immeritis hujusmodi suspicionibus et calumniis gravamus innocentes. Sed erit aliquando divina gratia tempus, quod genuinae pietati, quae longe distat ab omni suo, suus constabit honor, suum pretium, quod nunc a seculo negatur. Præfæctui autem in vera divina cognitione non parum conducit illa fidei et patientiae ex adversis judiciis exercitatio: atque adeo ipsis adversariis, vel potius divinae retractoris providentiae, non parum debemus, quod cum laedere cogitant, nobis plurimum profunt, eoque ardentius pro illorum salute etiam orare convenit.* Optimus Dn. Gramslus noster iterum ex malo crurium pessime haecenus habuit, eadem hebdomade, qua ego etiam decubui, novo symptomate correptus, ut pariter de vita dubitaretur. DEVS et Spiritu suo eum in tam diuturno patientiae exercitio corroboret et leniat, quibus fere perpetuis affligitur, dolores! Filius ipsius, si recte accepi, istis Nundinis Hamburgo rediturus est: de cuius studiis mihi optima quaeque promitto. Vale et celeberrimos Collegas, quibus nomen meum cognitum nosti, ex me salutem dico: DEVS vos omnes servet suae gloriae et publico honore. *Scribeb. Francof. 8. Mart. 1679.*

T. Virtut. studios. et ad preces atq; officia addictissimus  
*Philippus Jacobus Spenerus, D.*  
 Bilgero nostro salutem et ad Studia  
 ulteriorem divinam benedictionem!

## EPISTOLA II.

*Ex Cunis Salvatoris JESU*

*quicquid ille Salutis coelitus attulit fratribus!*

Amice honoratissime.

**A**ffectum Tibi nostrum, et qui ex eo sine arte profluere versus non displicuisse, testimonium Tui in me affectus est. DEVS porro impleat, quae amico ac prorsus sincero pectore fudi, et quoties Tui, sit vero hoc frequentissime, recordor, fundere non desisto pro salute Tua praeces. *Argumentum de Jubilato*, quodlectionibus Tuis elegisti, perplacet: quod vero a me desideras, excedit suppellectilem nostram. Ingenue enim fateor, me illi eruditionis parti, ut qui de quibusvis rebus scriperint cognitos habeam, parum studii tribuisse. Ne tamen opineris, subterfugere me scribendi laborem, in chartam coniciam, qui mihi cogniti. *De Hebraeorum Jubilato si agendum mihi esset, consulere Cornel. a Lapide et Lorinum ad Levitic. adderem Hospinianum de fest. et de Orig. templ.* Tractant etiam de eo argumento Chronologi passim. Ante omnes vero dicere debebam *Hottingerum, in cuius Analektis Historico-Theolog. edit. Tigur. 1652. tertia dissertatio est de Jubilato Judaico. Christiano. Pontificio.* Ab eodem video citari de Jubilato Pontificio *Petri Prost Spicil. de Jubil. Felic. Malleolum dial. de Jubil. His adjici potest Ant. Santarellus Jesuita.* Ex nostris et Reformatis consuli possunt *Chemnit. Exam. Concil. Trident. Chamier, Hospinianus. Disputationem etiam, sub B. D. Dorscheo de Jubilatis conscripam, proposuit 1655. Rosshochii Joannes Cucuel, cuius tamen mihi copia non est.* Credo etiam ad hanc rem spectantia multa reperiri posse in scriptis et concionibus, quae prodierunt 1617. 1630. 1655. ob memoriam secularem Reformationis, Aug. Confess. et Pacis religiosae. Nisi memoria me fallit, memini etiam cum *Jenensis Academia* secularem celebra-

ret,

ret, inter Academica Exercitia, quae tum typis excusa, fuisse etiam quae hanc materiam excolerent. Jubilaei 1600. historia vel potius iter Friderici Duc. Wirtemberg. quod ob solennitatem eam Romam suscepit, itidem typis excusum extat. Ostendit etiam *Pl. Rev. Dn. Grambsius* inter suos libros *Carmen impressum nonnisi 4. foliorum*, cum hac inscriptione: *Von dem Jubel Jahr: Die Büchlein sagt gar offenbar von swiseltigen Jubel Jahr: das ein des Herrn Jesu Christi: das ander des Pabsts Jahrmarck ist: Welcher die Büchlein recht besicht: der laufft gen Rom umb Ablass nicht.* Haec de ea materia succurrunt. Sed vix dubito omnes illos Autores pridem *Tbi in universali variorum Autorum notitia versatissimo* fuisse cognitos: saltem ex hoc colliges, voluisse me quod petebas. Praefatus *Dn. Grambsius* cum amica addita salute gratias pro benevolentia maximas agit: erit ubi illa utetur: nunc vero filius adhuc carceres gymnasii nostri nondum egressus est: eximetur vero quod sperat proxime, sed ne patrios Praeceptores publicos videatur aspernari, aliquid adhuc tempus inter exemtos necessario transigere debet. Quae de *Treulichio* me docuisti, eodem tempore, vel paulo ante, *Norimberga* etiam allata fuerant. Hominem pessimum! Ille tamen tertia ab hac septimana denuo literis me compellavit, culpam infortunii sui mihi imputans, quod impostoris poenam a Senatu Nobilissimo *Norico* subire coactus sit, sola hac ratione, quia in promptu non fuerint testimonia, sive *Systatae Wittebergenses*, quas ego justo diutius detinuerim, ad me obtinendi subsidii causa transmissas. Opportune vero accidit, quod Mercator, cui pecunia nomine Senatus nostri illi numeranda erat commissa, nos prius edocuerit, quae de homine fama esset. De qua edoctus inclutus Magistratus noster revocavit argentum, quod ego frustra orabam *Exulibus Hungaricis* tribui, quia semel causae piae fuerit sacratum. Audimus *Vlmenfes* etiam *repetiisse*, quae ei destinata. Non alio nomine hominem

nostris commendavi, quam quod tradens ejus ad Magnif. Consules epistolam testatus sum, Wittebergenses literas systaticas esse sine vitio: de quo etiam dubium non potest esse. Audio eum alio iterum assumpto nomine ad plures decipiendos pergere. *Fures* hujusmodi publici vix clementius habendi, si meo res staret arbitrio, quam qui ob effraetas aedes, vel alia surrepta, corpore luunt. Non addam plura, nisi ut optime valeas. *Scrib. Francos. ad Moen. 21. Decembr. Anni exeuntis 1674.* cui ut alius succedat Tibi bonisque omnibus felicissimus ex animo precor. Sit ille Jubilaeus, quo reditus ad possessiones suas pateat bellorum aut persecutorum violentia pulsus, calamitosi vinculis solvantur suis, et restituta pace publica laetitia redeat! Ita jubeat, qui temporum et aeternitatis est **DOMINVS!**

T. Virtutis studiosissimus, et ad preces atque officia addictissimus

*Philippus Jacobus Spenerus, D.*

## EPISTOLA III.

*Optima ab Optimo!*

*Amice Exoprattissime.*

**Q**uaternis Tuis, tot enim in pluteis meis reperio, ut una satisfaciam, non aegre feres. Vnum omnium fere argumentum, Amicos meae curae commendare; locutus sum omnibus; et quidem cum comite suo *M. Nüchterlinus*, dein alter etiam *Webelius* tantum hic transiere, longiori non facta mora. Huic obtuli, si *Giesam* tenderet, et meam commendationem usui sibi crederet, epistolam ad Professore[m] Juris in manus dare. *Kriegerus* non amplius me convenit, postquam intellexerat ex me, nullas meas in Musica nostra Ecclesiastica adornanda partes esse, uti alibi solent, qui rem sacram tractant, non omnino ab illa excludi cura. Hic secus habet: nam ne quidem consulimur, cum Musici ad officium

cium recens obeundum vocantur, unde nemini ad hunc meum testimonium profuit, uni parum adest plurimum nocuisset, quod a me commendari voluisset, et ego ita volenti gefissem morem. Vnde ex eo non ausus sum aliorum, etiam notorum mihi, facere mentionem, ne promotioni obsit meum studium apud eos, qui solis sibi omnia deberi volunt. Cum *Gehrnio* frequentiore[m] mihi spero consuetudinem, postquam nundinales occupationes praeterierint. Experietur me desiderijs suis primum, si mea opera uti velit, ad quod, Tui potissimum causa, me obtuli. Muneribus Tuis literarijs gratias repono maximas, nunc ad manus non aliud est quam Epistola, quam hic vides, apologetica partim eorum quae hic aguntur historica, Svalere editionem Amici, et ipsa res exigere videbatur. Nunc securus rem omnem DEO committo, cujus sola ante oculos est gloria: Sapientissimo autem ipsius arbitrio merito relinquitur, quo modo, vel qua ratione eam promoveri velit. *De Britannico* vellem ut possent desiderijs et expectationi Tuae satisfacere, sed soli mihi *de Re Numaria* in manibus sunt *Joh. Hemelarii* Imp. Rom. Numismat. Aurea ex Museo Ducis *Arelcot*; *En. Vici* le Imagini delle Donne *Auguste*; *Sebast. Erizzo* discorso sopra le Medaglie antiche; et *Ludov. Savot* discours sur les Medailles antiques. Nullus eorum *Britannici* meminit, hoc excepto, qui pag. 377. id solum memorat: *Toutes les Medailles de Britannicus, de quelque sorte que ce soit, sont tres rares.* Pauci in hac civitate illo studio delectantur, nec pro fama Urbis Antiquitatum hic vel cura est vel ullus Thesaurus. In vicinia *Perillustri Dn. Greiffenclau* Moguntinus Praefectus Dynastiae *Koenigstein* alijs elegantioribus studiis illud antiquarium adjecit: et, quod audio, supellestem non contemnendam collegit. Plures saepe hic transeunt *Vngari* exules, cum quaerendis subsidijs Germaniam peragrunt: ex illis cum gemitu intelligimus Ecclesiae in Regno illo tristissima fata. Quam inscrutabilia sunt judicia

divina et ultra captum nostrum! Sed non deerit suae gloriae DOMINVS, et patientia Sanctorum vincit. *Heraldica mea* jam in eo esse videntur, ut portum subeant, et quo diutius est, quod illi operi incubui, eo magis fastidium quod demum obrepit, urget me, ut editionem maturem. Si quos ex illustribus, Comitibus vel Baronibus Austriae habes amicos, et monere eos velis, ut Insignium suorum ad me delineationem, cum explicatione jurium & titulorum suorum mittant, et mihi rem gratam praestiteris, aliis pensandam officii, et polliceor, communicata adici quae pridem in museo meo habeo, fideliter operi inserentur. Forte occasio haec aliquibus non negligenda esset, qui decora familiae suae et jura factis expressa pluribus innotescere e re sua credunt, ut hac ratione, sine sumtu suo, beneficio operis mei, quod in variis Europae partibus plures docti expectant, et maturari sollicitant, non solum publicae exponerentur luci, sed quam celerrime quaquaeversum innotescerent. Mea parum inreest, plures an pauciores in libro meo compareant: Sed omnibus tamen inserviendi votum non nego. Vale, Deo commissus, et quod strenue facis me amare perge. Scribeb. Francof. ad Moen. 24. Sept. 1677.

T. Virtutis studiosissimus, et ad pia vota atque officia addictissimus

Philippus Jacobus Spenerus, D.

Maxime Rev. et Excellentissimis Dn. D. Sauberto et Dn. D. Wagenfello duo exempla Epistolae, ni grave est, cum votorum et obsequiorum meorum significatione porrigi rogo. Bene quoque sit victoribus Tuis *Cramsis* et *Bilgero* nostris.

## EPISTOLA IV.

Salutem et Gratiam a Salvatore nostro unico!

Fautor et Amice desideratissime.

**N**on dimittendus erat sine literis ad Te noster *Bilgerus*, nec volebam sine indice ad vos ire illas chartas. Bene

Benedicat porro istius studij DOMINVS, et vestro & consilio ostendat, quo in literarum genere posthac de publico optime mereri possit. Has videbis jam latino habitu induta exhibere pia desideria, quorum singula exempla Excell. Collegij Viris celeberrimis, *Sauberto*, *Fabricio*, *Wagenfello*, multa salute meo nomine adscripta, porriges. Ut illa lingua prodirent, Amicorum frequens flagitatio efficit, cum alioqui nec abundem otio nec versione delecter, ejus exercitii jam diu desverus. Credo me nuper de D. *Hannekenio Gieffensi* verba fecisse, quod nos in praefat. *Traſſat. ad Gregor. de Valentia de necessitate Doctrinae Christianae perſtrinxerit*, & quam vocat novam *Pietatis praxin infectatus sit*. Compellatus negavit, se adversus me quicquam habere, sed alios innuere. Poterant ego ex ipsa dedicatione alius eum convincere, talia enim adducit, quae, ut ad oculum ostendere valeo, ad neminem alium quam me referri queunt. Verum enim vero qui bello non delector, Adversarios receptui canentes, ut pedem figant, nova aggressionem cogere nolo. *Calumniae nonnihil, quae serbuerant, videntur considerare, nec tamen adhuc cessant. Et qui possent cessare, donec diabolus suam exuet indolem, aut Regno Christi adversus esse desinet?* Nobiscum quaeso, mi frater, junge preces, ut omnes voluntatem DOMINI sine errore cognoscamus, sine seignitie perficiamus. Ei commendatus cum Tuis vale optime! Francof. 23. Sept. 1678.

T. Virt. studios. et ad preces atque officia addictissimus

Philippus Jacobus Spenerus, D.

*Heraldica* sub prelo sudant, sed quod mole gravius opus est, vix nisi vortente anno prodibit.

## EPISTOLA V.

*Salutem et amorem a Sacrosancta Triade!*

Amice exoptatissime,

**E**GO Tibi an mihi Tu literarum debitor fueris, non satis bene recordor, sed parum interest, ubi inter Amicos res agitur, uter in alterius aere sit, cum uterque se esse haud invitus agnoscat atque fateatur. Abit ad vos *Lersnerus* Scabini primarii, et Scholarchæ nostri meritisissimi nati minimus filius, sed cui jam hospes lectus erat *Consultissimus vester Linckius*, antequam ad me consilii causa iretur. Rogo tamen si qua ope et consilio possis, juvenis studia promovere ne negligas, ut aliquando redux ea adferat, quæ patriciam sortem ornent, *Mea sane sententia homine in civili conditione olim victuro, post pietatis studium, non aliud dignius est, quam Hist. icum, cui docendo Tu operam navas egregiam; unde non alius ei ita quaerendus erit praeceptor, quam in Te reperiat.* Me DEI gratia cum valetudine omnino in gratiam rediisse aliunde forsan Tibi constabit: ita in virium restauratione suæ potentiae et benignitatis benignissimus Pater coelestis statuit exemplum. Proximis vero diebus ad *Acidulas Svalbacenses* me conferre decrevi, illarum potu novum corpori vigorem quaesiturus, et animo aliquot hebdomadam quietem, quam officii in urbe munia patiuntur, liberiozem. Ceterum vidi nuper cum taedio, quæ Tibi et N. N. intercesseris contentio: quam vellem talia de Amicis non audire, sed Collegarum perpetua concordia ad eundem animorum habitum juventutem studiosam advesneri. Ast facilius tamen ista ferri possunt, quam quæ alias Academiæ, et nonnunquam in iisdem Collegas multo cordatorum cum dolore committunt de sacris argumentis dissensiones. Ista pagellas nuperis nundinis præfixi novæ *B. Arndianorum* operum editioni, quas Amicis ea inprimis causa mitto, quia ex ἐγκλήμασιν nobis imputatis hoc etiam fuit, *Francofurtensibus omnes, excepto*

pto S. Codice, damnari libros: cuius commento quæ sit habenda fides, istæ testimonium dicere possunt. Vale in DOMINO. *Scrib. Fran. Hof. ad Moen. 20. Jun. 1679.*

Virtutis Tuæ cultor studiosus, et ad preces atque officia addictissimus

*Philippus Jacobus Spenerus, D.*

## EPISTOLA VI.

*Salutem à JESU!*

Fautor et Amice in eodem dilectissime,

**A**D Tuas heri acceptas nunc ne verbum possum. Hæc illud tantum volunt, ut scias, hunc qui eas fert, esse Amicum meum, qui me olim Doctore usus Argentorati, exin varia itinera peregit, nunc vero altera vice Italiam petit. Studiis amoenioribus, et quæ eum decent qui in vita civili aliquando agere debet instructus est. Nomen ei *Daniel Behm*, patria *Regius mons Prussiae*: Si Te compellabit, cen recepit, non neges ei horam unam. Vale, et, quod facis, amare me perge, qui Te æternum. *Scrib. Francof. 7. Aug. 1674.*

Tuus

*Philippus Jacobus Spenerus, D.*

Accipis hic iterum chartas: Exemplar unum Nobiliss. Dietherro Fautori meo singulari.

## EPISTOLA VII.

*Salutem et Amorem in DOMINO!*

Amice exoptatissime,

**P**LURIMUM me post alia eo Tibi obstrinxisti, quod a Collega Tuo *Adm. Rev. Dn. D. Sauberto* non tantum quid ille de Præfatione nostra sentiret obtinuisti, sed hoc modo Viri illius mihi conciliasti amicitiam, ut etiam peculiari me dignaretur Epistola. Illa in pretio mihi erit, sicuti hæc me non parum delectavit: imo paulatim in eo confirmor, non omnino nostra ab eo quod interdebant,

debant, consilia nimirum Ecclesiae emendationi profutura, abluisse: quia omnes pene quae quaquaversum ad me deferuntur literae piorum et cordatorum Theologorum consensum testantur, nonnullae etiam pollicentur operam eorum, qui serio causam DOMINI promotam cupiunt. Alias nemini minus quam mihi ipsi credo, unde tanto magis necessaria sunt talia, quae me confirmant aliorum suffragia. Tuum autem prudens iudicium et consilium, cuius spem fecisti, adhuc cum desiderio expecto; nec tamen aliter exigo, quam ubi percommo- dum Tibi futurum est. Porro plurimum Amicorum desi- deria, et quod alibi recudendum nonnulli jam minaren- tur opusculum, effecere, ut in minori forma denuo im- primeretur seorsim, cuius hic, vel post has ab Enderio duo, quorum alterum Tibi serves, alterum Excell. *Dn. D. Sauberto* tradi facias, exemplaria accipias. Videbis adnexa duorum Theologorum monita, additiones, ob- servationes, ex quorum lectione plurimum mihi promit- to. Jubeat DOMINVS in ipsius timore susceptos labo- res non plane in fumum abire, sed aliquos suo tempore ferre fructus: hoc enim unum est, quod omnes, nihil vero nostrum, intendimus. Pro transmissa imagine *B. Arndii* *versibus Dorsheanis* exornata, gratias ago maxi- mas: occasionem quaeram, ut illi iterum in plures ven- niant manus, et plurimum subeant oculos atque afficiant mentes. Doleo vero istis nundinis me Tuo bono iterum nihil potuisse: Tubingensis Bibliopola eas non inuisit, sicuti etiam Argentinenfium, qui ventitare solebant, ne unus quidem accessit, ex aliis locis infrequentes: unde spes de *Itinerario Ducis FridERICI*, quae ex istius pendet promisso, iterum decollavit: sed et ex hoc habuere, quo se excusarent *Serliniani*, ut ne nunc quidem fidem nos- tram exsolvam. Neque vero semper mihi vel vobis ver- ba dabunt. Plurimum Rev. Collega noster *Dn. Grambsius* peramanter Te salutet, et proximo Vere, DEO volente, filium suum vestro Aldorfio, Tibique in eo con- credere

credere constituit. Jussit vero ut ex Te percontarer, an propria instituta familia hospites excipere soleas, an apud alios filio talis commoditas sit inquirenda: quo casu in *Consultiss. D. Wagenseilium* oculos coniecit, si ejus con- suetudine et consilio filius ad Hebraicae linguae, qua jam tinctus est, et eam deperit, cognitionem profundiorum perducere posset. Quid Tibi videatur, et quid consulas, expectamus, ut demum certi aliquid decernere valeat. Vale, et quod facis, porro nos amare perge. *Scrb. Francof. ad Moen. 20. Sept. 1675.*

T. Virt. studios. et ad preces atque officia addictissimus  
*Philippus Jacobus Spenerus, D.*

## EPISTOLA VIII.

*JESVM et quicquid ille suis esse promisit!*

In eo dilectissime Amice et Fautor.

**S**I ex literarum frequentia amicitiae integritas aesti- mari debeat, non Tu solum, sed alii quoque, quos tamen affectu sincero amplector, de fide mea et amore merito dubitare poterunt, cum magis magisque ad id officii genus reddar tardior: cum enim negotiorum mo- les augeatur potius quam minuat, eorumque, qui epi- stolas scribunt et expectant, numero quotidie accedant alii novi, certe alloquiis literariis non amplius sufficio, nec quod a me Amici vellent praestare valeo. Hanc ergo, ipsa necessitate jubente, mihi legem scripsi, ut pri- mae cujuslibet epistolae, post moram non adeo longam, nisi peculiaris ratio aliter svadeat, respondeam, inter ceteras semper eas seligam, quae argumentum tractant magis necessarium, et quarum dilatio expectantibus ali- quo damno cederet, adeoque charitatem, quae me om- nium commodis invigilare jubet, laederet. Quod reli- quas attinet, quae recordationis ergo scribuntur vel officii, ingenue fateor, eas fere seponi, nec nisi post tempus longius, ne plane Amicorum memoria excidam,



a me aliquid reponi: unde non unam centuriam epistolatum cui vi in museo meo me convenienti ostendere possum, quae responsonem adhuc praestolantur, et sane pluribus saepe ostendo. Hoc praefari necesse duxi, excusandae morae semestri, ne credas aliquo Tui contemptu vel oblivione fieri, quod scribo rarius: illius in me suspicionem cadere non puro, sed nec hujus, cum potius sancte asseverare possim, Tui me et alias et coram throno Gratiae meminisse: quod pene unum officii genus est, quod reliquum mihi manet, de Amicis merendi, cum ad alia inter plures non sufficio, spero tamen facilem ab aequis quibusvis, adeoque Te etiam indultum iri mihi ipsius tarditatis veniam. Dixi vero me excusare semestrem moram. Quam enim Tu quartam Te scribere epistolam significas, solam me accepisse recordor. Certe de secunda et tertia, quas numeras, certo asseverare ausim, ad manus meas non pervenisse. De prima, quam Francofurtum Te misisse perhibes, non pari confidentia loqui possum, cum inprimis quae abitu meum proxime antecesserunt, ita turbatum me offenderint, ut vix recorder, quid actum, nec ne. Quod vero dubito, ex eo est, quia inter eas, quas Francofurto attuli epistolas, nulla Tua comparet: est tamen earum, adeoque aetatem jam habentium apud me adhuc fasciculus numerosus satis, ex quo nuper ad aliquas triennio et biennio dilatas adhuc respondi, et si DEVS valeudinem prorogabit, ad alias adhuc respondebo, illis non recentiores. Sed de his jam non plura. Quod meum munus, quod ab anno ita volente DEO (qui non uno modo suae voluntatis ira me reddidit ea in causa certum, ut dubio nullus relinqueretur locus,) obeo, attinet, gratulationi Tuae ago gratias, quamvis enim jam dixerim, non mihi obtigisse literas, quibus illam insertam memoras, non dubito tamen, eam piis votis fuisse refertam. In statione autem tanti momenti, qualis ista est, non alio post divinam gratiam magis egeo, quam ut ab hac subinde

piis

piis Amicorum votis mihi exorentur, quae mihi ad minus peragendum necessaria sunt. Perge quae so ista pietate, et hujus opis indigum porro juva, ejusdem de me officii certus. Quae mihi vero spes sit, in provincia hac mihi demandata dignum aliquid praestandi, si quaevis, non aliud quod reponam habeo: quam firma me teneri fiducia, non defuturum curis laboribusque DOMINVM qui vocavit, et cum priori hanc cominutare jussit: ejus ergo ut expectem benedictionem ipsum ejus verbum me jubet, redditque adeo securum. Vnde firmiter animo decretum est, pro viribus, quas ipse gratiose largierur, laboribus defungi, precibus instare, quae patientiae explorandae benignissimus Pater mihi immitteret, aequo animo et obsequioso sufferre, divinam benedictionem promissam opperiri, ejusque tempus atque modum unice superno beneplacito permittere. Ad hanc regulam incedens certo mihi persvadeo, quod non omnia frustra agam: imo DOMINO gratias ago, qui jam ostendit, non semper nos aetern ferire vel ventis loqui, cum ipsius verbum urgemus. Hungariae vestrae, inprimis verae in ea Ecclesiae, quem deploras Status, sane lacrymis dignus est, huicque ea imminere videtur ruina, ex qua non resurget, nisi cum Babyloni tanto fastu jam culmen potent ac suae divina permissione condescendenti suus instabit finis, quod quidem tempus a nostro tam longe diffidere neutiquam opinor. Verum enim vero non Pannonia sola his fatis peti videtur, sed fallor aut iisdem involvetur longe maxima pars Ecclesiarum, quae veritatem profitentur. Et sane tum in Ecclesia nostra ea, si introspicimus, perspicimus, quae minantur ejus interitum, si vel nulla alia vis inferatur, tum extra eam observamus hostes, qui male volunt et facere, nisi coelitus prohibeantur, magna vi possunt. Prohibitum autem illos iri, donec judiciorum decretorum detoneris tempestas, tam non credo, ut divinas praedictiones isti spei omnino contrariari censeam. Vnde vix jam quod

agamus

agamus aliud superest, certe non aliud contra hostes praesidium, quam ut die noctuque Patrem coelestem precibus fatigemus, qui foederis sui recordetur, ut peccata adversus pericula ista divina armemus virtute fidei et patientiae, ut inani opinione, quod veritatis professores non possint non externa etiam victoria adversus mendaciorum architectos beari, nos ne patiamur demereri, ut denique non aliam concipiamus adversus hostem istum victoriam, quam quae etiam contra draconem obtinetur, videlicet sanguine Agni et verbo testimonii, atque si vitam nostram ad mortem usque non diligamus: ita enim neutiquam falleremur, si, ut fere omnes res christiana, *μακάροξ* est, per clades nostram expectemus victoriam. Sententia haec parum laeta, nec carni grata, est perquam vera, et quam experientia aliquando comprobabit. Abbreviet vero, nisi omnino istud consilio ejus divino repugnat, judiciorum hos dies Pater Optimus, ostendatque, suae se non dememinisse nec veritatis nec bonitatis nec sapientiae. Huic Tu quoque ex animo commendatus optime vale, meque amore amplecti perge. *Scrib. Dresdae 9. Septemb. 1687.*

Tuae Virtutis studiosissimus, et ad pia vota  
ac officia addictissimus

*Philippus Jacobus Spenerus, D.*

## EPISTOLA IX.

*A JESU mortis triumphatore gloriosissimo  
omnia mortis ipsius merita et resurrectionis  
fructus!*

Amice exoptatissime,

**D**E amoris mei constantia nolim unquam dubites, vel in dubitationis argumentum rapias literarum mearum infrequentiam et in respondendo tarditatem. Certe non aliter res meae ferunt, inter tot distractiones atque interpellationes, imo in tanta literarum undique advo-

advolitantium multitudine, quam si nosse forsitan cupiveris, scias, me nuper numerantem eas, quae adhuc expectent responsum, invenisse duas centurias et tertiam pene completam. Unde sane unus ego omnibus non sufficio, sed multas sine responso relinquere cogor, ipsis etiam Amicis paulo serius et rarius scribere necesse habeo. Hoc tamen insuper addo, me non meminisse, nec in chartis meis reperire, nisi duas a Tua manu, quae adhuc sine responso sint. Quas *Planckio* commississe scribis, ex eo certior sum quod intercidisse oporteat, quia *Caixintam epistolam* misisse per illum scribis, quam sane non accepi: unde ad duas solum respondere possum. Quis Exul hungarus ad Te ventitans salutationem sibi commissam negaverit, nescio: hoc tamen asseverare possum, talem vel me non adivisse, vel quod Altorfium tendat, non significasse. *Brevingio* meo respondeo, sed non nisi prior pars adhuc prelo prodiit, quam sive cum hoc Epistolio, sive post breve temporis intervallum accipies. Si perlegere digneris, mone quaeso in quibus me monendum censet: cum enim alteram partem adhuc subjungere necessum sit, amicorum monita mihi utilia esse possunt. Historiam insignium et reliqua Heraldica non prius pertexere poterò, quam *Brevingiana* ista expedita fuerint. Ipse vero aveo videre tandem finem argumenti illius historici, ut absque impedimento horum studiorum exotericorum, si quid aetatis supererit, solis illis tribuam, ad quae imprimis vocatus sum. *Bigerus* nobiscum vivit, utinam vero spes promotionis propior esset; sed *munera publica non adeo multa numerantur, Candidati autem aetate et eruditione pares plurimi alii alii impedimento sunt.* Vienna liberata et Strigonio recuperato utinam omne periculum Turcicum evanuisset; ego vero metu me vacare non possum gloriarì. Imo invito etiam incidunt saepius illa Prophetiae *Jerem. 37, 10.* quoties cogito periculum invasionis Germaniae, quod plane superioris anni victoriis discussum plerique cogitant. Ah tenepret multa misericordia iudiciorum

riorum suorum severitatem Pater miserationum benignissimus. Cum *Tellierio Jesuita Parisiensi*, (hic ne forte ex familia illa oriundus est, quae nunc in aula rerum potitur,) de Articulis fidei conferri per literas non dissuaserim; successum vero felicem precor. Pro communicatis iis, quae de *Episcopo Thimensi* aliunde acceperas, gratias ago decentes. Sane res mihi eo gravior fuerat, qui ante hoc semestre multa ob illud negotium cura angebar, ex quo ipse mihi Episcopus hic per aliquot horas locutus erat, ego autem consilia ea specie ordinari videbam, ut Magnates multorum commodorum politicorum imagine falli, Theologos etiam qui carnalia sapiunt, aut hebetiores sunt, fascinari non adeo difficile videretur. Plurimum vero gavisus sum, et singulari divinae directioni isthoc tribui, quod Elector Saxonicus a Consistorio suo haud dubie excitarus literis alios Principes amice monuit, ne qui in causa communi separatim cum hoc Episcopo agerent, aliis praesudicia creaturi, neve hoc suis Theologis permitterent. Vbi primum hoc mihi innotuit, rem in salvo esse credidi. Cum enim omnis spes Episcopi in eo esse potuisset, si vel aliquos seduceret, vel inter nos, Theologos committeret, atq; schismatibus daret occasionem, hoc vix alio modo poterat efficere, quam cum singulis seorsim agens; unde admodum graviter tulit, cum in Aulis aliquibus non aliud responsum auditis propositionibus acciperet, vel quacumq; arte eliceret, quam ea de re cum Saxone et aliis Proceribus sententias collatum iri; reponebat vero, ex nostris principibus nullam esse Ecclesiarum a se invicem dependentiam, sed singulas pro se agere posse; audivit vero replicari, non dependentiam statui, sed compagem inter membra unius corporis servandam. DEVS porro prohibeat periculum istud ab Ecclesia nostra! Sane ego non solum ita sensi, sed ipsi Episcopo post aliquot horarum colloquium sub discessum interroganti, quid apud me proficisset, fassus sum, Ecclesiae nostrae me hoc gravissimum periculum judicare, si sub quacumque conditione

ad

ad tractatus Reunionis descenderetur, multo magis si haec succederet. Idem adhuc hodie firmiter animo meo sedet. E Babylone nos eduxit DOMINVS, ad hanc ergo ulla sub conditione redire nequimus, nisi velimus ingratissimi repudiare coeleste beneficium: potius nos decet persecutiones magnae meretricis fortis pectore sustinere, et iudicia divina, quae ipsamet suo capiti attrahet, fideli animo expectare, quae expectatio certe nos non fallat verbo divino infallibili nixa. *Händelii* iudicium nondum cum cura perlegi, quamvis his diebus mihi ab amico quodam transmissum: hinc inde vero acerbiores de eo sententias accipio. Optimae Sororis Tuae luctui ex animo condoleo: sit DOMINVS viduae curator et orphanorum pater, eamque fidei suae aerumnosis servatae nobile faciat celebrari exemplum. Ista ad Tuam gemitam epistolam, quibus non aliud est quod addam: quam optimo nostro Argentorato novum creati periculum, ex quo nupero festo Thomae Aquinatis, Jesuitae (quale vero hominum genus!) Seminarium suum inaugurarunt. Servet DOMINVS Candelabrum suum in illa urbe, nec loco moveri patiat, civibus vero (ex quorum numero nondum nisi quinque vel sex, et hi quidem Ecclesiae purgamenta, ad alia castra transfugere,) post hac eandem in retinenda fide constantiam largiatur! Idem Te quoque, Amice dilectissime, omni benedictionis suae coelestis genere ubertim beet! *Scribent. Francos. ad Moen. 11. April. 1684.*

Tuus ex animo

*Philippus Jacobus Sprenger, D.*

*P. S.* Vbi quaesitum *Thina*, cujus Episcopum agit ille Nuncius Irenicus, in tabulis reperitur? In Croatia esse oportet, cum Croati e primas vocentur, sed nullibi nomen illud potui hac usque reperire. Verum nomen *Tari* est *Chrysophorus de Roxas*,

sive,

sive, *Rotas*, gente hispana: Spinolas per matrem vel aviam tangit: Religione autem Franciscanus est, majorem vero aetatis partem Politicis negotiis exegit.

## EPISTOLA X.

*Salutem et Amorem à JESU nostro!*

Amice exoptatissime.


Q Vando ita permittis, utar erga Te licentia, qua erga omnes vellem: quamvis enim religioni mihi non ducam, uti solennibus illis formulis, quas seculi mores introduxere, et eodem jure usurpari posse credo, quo aliae molestiae, quarum necessitatem nobis male sana consuetudo, si tamen sine vitio est, imposuit, ferri solent: malle tamen in hoc etiam rem redire ad priscam illam, non jam dicam Christianorum, verum etiam gentilium simplicitatem, qui ad conspectum titulorum nostrorum, vel in cachinnos effusi essent, vel bilem, certe vanitatem istam sua gravitate indignam duxissent. Coeterum haud dubie silentium meum obstinatum haecenus miratus es, sed ipse etiam Tuum adhuc ex promisso ad pia desideria mea expecto responsum. Et vide, quid morae ulterioris occasionem dederit. Sperabam me effecturum, ut *Serlinia* superioribus nundinis debito Tuo satisfaceret: ita enim receperat, se pro *Thuano* alium daturum librum, quo nomen illud expungeretur: hoc fieri cum expecto, Nundinae exierunt, et dum differebar, non unus mensis haecenus elapsus est. Demum nuper *Arnoldi Postilla*, sive, homiliae in Dominicalibus Pericopas, ex editione recentiori (quae VI, Imperialibus venire solet,) tradidit, quem librum Tibi mitterem. Credebam Tibi non ingratum fore, si qualicumq; modo ab ea aliquid obtinerem, ne plane semper illa in tabulis Tuis maneret, inprimis quia *minor editio Thuani* quondam ad illud pretium non ascendebat. Tum si etiam libro illo uti nolle, facilem Tibi commoditatem autumo,

ut in *Enderiana officina* cum alio aequivalente commutares. Exhibui ergo librum *Collegae meo D. Grambsio*, a quo accipies. Hujus Filium istam aetatem apud vos ex voto egisse, cum gaudio intellexi; DEVS porro expectationi Parentum in ipso satisfieri sua benedictione jubeat! Certe juvenis sine admoto calcari ad ea quae sibi agenda essent ultro semper properantis ardor et motum probitas, plurimum semper spei mihi fecit, et nunc quoque facit. De *Contronevia* Tibi a N. N. mota nihil aliud, quam quod ipse significasti, cognovi: miror audaciam, seu potius temeritatem hominis, si tamen mirari licet hoc seculo illa fieri, quae ejus moribus congruunt, ut ex omnibus non nisi quaestus fiat. Spero illos etiam resedisse fluctus. *Sylloge mea Genealogico-Historica* nunc demum divina gratia prodiit, ejusque exemplum *Dn. Eadterus* cum his Tibi offeret. Nostrorum hinc inde calamitates et Ecclesiae totius pericula saepe intueor, et cum gemitu. Valde fallor, aut longe adhuc graviora nobis imminet judicia divina: quorum justitiam in dubium revocare non possumus, cum utique fateri necesse sit, summa ingratitude nos haecenus erga veritatem revelatam usos esse. Nam qui etiam optime de Ecclesia mereri sibi videbantur, bene de ea agi arbitrabantur, si dogmatum veritas a Sectarum erroribus intemerata servaretur, insuper habito, an pietatis doctrina omni studio tractaretur, et in exercitium deduceretur: quem nuper magni nominis vir capitalem & fundamentalem errorem ex vero appellavit. Vti ergo alias DEVS solitus est, illa quibus adversum ipsum homines abusi erant, abutentium manibus eripere, idem ne nobis eveniat valde vereor, circa dogmatum veritatem, cujus amor seposita pietatis seria cura tam multos securos reddidit, ut illius gratia multa agerent, hujus vero nihil. Ast si patiatur etiam DEVS illam Ecclesiae nostrae aedem collabi, aut ab Antichristianis everti, ex ejus rudicibus, aut aliun-

aliunde, longe nobiliorem et sanctiorem excitabit coelestis ille Architectus, cujus promissiones fallere nos nequeunt. Hunc solum invocemus, ut quod Nomini suo gloriosum fore sapientissime intellexerit, agat, nos vero paremus ad omnia, ut saltem nostras, et eorum, qui duci se patientur, salvemus animas, dum ceteri peribant. *Ad pia desideria mea etiam ab illo tempore, quo ultimas ad Te scripseram, aliorum Theologorum celeberrimum perlatae sunt epistolae, quae me plurimum confirmarunt. Nullus autem, quod fore primum quidam augurabantur, repertus est, qui contradiceret publice. Utinam quot suffragantur consiliis, totidem etiam manus admoverent operi, et suo loco quisque id agerent, quod ad emendationem facit. Sed commendamus etiam istud DOMINO, In quo Tu vale cum Tuis, et quod facis me amare perge. Scrib. Francof. 25. Sept. 1676.*

Tuus precibus, officiis, affectu, amore

*Philippus Jacobus Spenerus, D*



DE CAS  
TERTIA  
EPISTOLARVM

AD

DAN. GVIL. MOLLERVM

MISSARVM

GVSTAVO GEORGIO  
ZELTNERO

THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE  
ET LL. OO. IN ACAD. ALTDORF. P. P.  
NEC NON V. D. M.

DEDICATA

ANNO CIO IO CXXII.

*Altdorfi*

LITERIS KOHLESH, ACAD. TYPOGR.